



**Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quid sit juramentum, & de conditioribus ad illud requisitis, varisque  
jurandi formis, ac modis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

# TITVLVS XXIV.

## DE IURE JURANDO.

## S E C T I O . I.

*De Juramento in genere,  
& variis juramentis, tam  
licitis, tum illicitis.*

## §. I.

*Quid sit juramentum, & de con-  
ditionibus ad illud requisitus, variisq;  
jurandi formis, ac modis.*

Juramentum re&ē definitur, quōd sit  
invocatio Divini nominis in testem, quod duplici modo fieri potest, vel affirmando, aut negando sub invocatione  
Divini nominis in testem, & habetur  
juramentum assertivum; vel promittendo aliquid cum juramento, & habetur  
juramentum promissorium. Potest autem Deus in testem vocari explicitē, vel  
implicite, jurando scilicet per creaturas, quatenus in illis reueat Deus; uterque  
jurandi modus licitus est secundūm se,  
c. Et si Christus. 26. h. t. si suos tres  
comites habeat, veritatem scilicet (ut res  
que juratur, vera sit, sive ita se habere  
putetur, sicuti juratur) judicium (ut non  
temere, & sine necessitate, utilitate,  
ac pia affectione juretur) & justitia de-  
nique, ut licitum scilicet sit, a honestum,  
quod juratur. Sunt autem jurandi for-  
mulae variae, quas magis ex usu Patriæ,  
juxta quam jam hoc, jam illud, pro jura-

mento habetur, etiamsi explicitē Divi-  
num nomen non invocetur in testem, &  
ex Theologia morali discrete potes, quam  
ex jure Canonico; ex quo tamen satis  
certum est, quōd ex natura rei non re-  
quirantur verba formalia ad juramen-  
tum (valde tamen convenientius est, ut in  
foro extenso per verba juretur) & quam-  
vis juxta SS. Canones juramentum fieri  
debeat, tactis, vel propositis saltē E-  
vangelii, quod in juramento solemni  
sepe servatur, consuetudo tamen mari-  
bus præscribit, ut erectis cum pollice  
duobus primis digitis manus dextræ, re-  
liquis duobus in depressis; fœminis ve-  
rō, ut jurent ad sinistram pectoris par-  
tem positā dexterā; Sacerdotibus deni-  
que tangendo pectus, ut jurent.

## §. II.

*De divisione juramenti.*

Juramentum dividitur primō in asser-  
torium, & promissorium, uti jam di-  
ctum, ita ut ad juramentum promisso-  
rium non tantum reducatur juramen-  
tum, quo confirmatur promissio, sive  
pactum, sed juramentum etiam fideliti-  
atis & obedientiæ, quod Episcopi in sui  
Ordinatione, & Abbates in sui benedi-  
ctione, si à Pontifice confirmationem  
sua dignitatis accipiant, prestatæ debent  
Summo Pontifici, juxta c. Ego. 4. h. t.  
Et quod Romanorum Imperator in sua

coro-